

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Absolvitio qvoad saecvlares

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](#)

De legi solitâ, reservatis, pro vna vice tantum
in foro conscientiæ, si de omnibus ex cor-
ruption deoleant, & in futurum abstinere inten-
tum. V. iniunctis eis pœnitentijs salutaribus,
& alijs iniungendis, &c. Vide dicta. n. 18 in
altes sine

ABSOLVTIO QVOAD SAECVLARES.

31. Bulla Pauli 3 pro Regularibus, absoluens
di quo sicutque.
32. Modò sint approbati ab Ordinariis.
33. Et à suis Superioribus non impediti.
34. Circa Bullam illam quæstio duplex: 1. De
exceptis. 2. De concessis.
35. Non excipiuntur casus Papales occulti.
36. Neque omnes Notorij.
37. Secundum alia Bullam eiusd. Pont. Nulli.
38. Quantum ad casum Heresis, in Germa-
nia, dubium non est.
39. Concessit etiam alias casus Gregor. 13.
40. In Bulla Pauli 3. facultas datur absolu-
uendi ab omnibus, exceptis in Bulla
Cœnæ D. contentis.
41. Dubium an deretur in Casus Episcopales.
42. Sententia affirmans refertur.
43. Friulegia num per Bullam Cœnæ D. re-
mouentur?

D.

44. Possunt

48 *Absolutio quoad Sæculares.*

44. *Possunt Confessarij Regulares absoluere Sæculares à casibus Papæ, etiam in Bulla Cœnæ D. vel alias Ordinario reseruatis; seruatis tamen cautelâ.*
45. *Primâ: Ne detur absolutio, nisi satisfactâ parte lœsâ vel sufficienti cautione præstâ.*
46. *Secundâ: Absoluere nominatim excommunicatos non expedit..*
47. *Tertiâ: Iuxta Regionis Praxin non fiat.*
48. *Quartâ: Infideles, priùs instruantur, quam absoluantur.*
49. *Quintâ: Licet hos absoluere à censuris etiam extra Sacramentum Confessionis.*
50. *Regularis, vt extra suum ordinem confiteatur, oportet, quod habeat licentiam à suo Prelato.*
51. *Confessarij Regulares excipere possunt Confessiones in sua Diœcesi vñlibet.*
52. *Professio Fidei Catholice Latina & Germanica.*

XXXI. 31. **P**aulus 3. in Bulla: *Cum inter cunctas Privilegiis An. 1545. Authoritate Apostolica plenum Pauli nam ac liberam facultatem concessit Societatis IESV Presbyteris, quorumcunque utriusque sexus fidelium ad eos undecunque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos, ab omnibus*

Absolutio quoad Sæculares. 49

Papa, in omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excusis, & delictis, quantumcumq[ue] gravibus & enormibus etiam Sedi Apostolica reservatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absoluendi, ac tis, pro ommissis, pœnitentia salutare iniungendi, &c.

Refert hanc Bullam Rodriq. 10. 2. Bular. in Iulio 3. Bulla 7. Illius constantem adhuc alorem & alijs Mendicantium Ordinibus communicatione demonstrat P. Merchant.

fundamenta Duod. Ordinis Fratrum Min. ind. ii. §. 4. Pro. 4. Explicat fusè Soar. 10. de Relig. tr. 10 l. 9. c. 2. Et Urban. ab Aſensi. Theol. Moral. tr. 2. p. 2. diſt. 1. c. 1. Reg. & seqq. Ad nostrum propositum aderte lequentia.

32. Primo; Bullam illam postmodum Conc. Trid. fuisse moderatam quoad oc, quod absolute quibuscumque Presbyteris lius Ordinis concedebatur, quos modò oportet esse approbatos ab Ordinarijs, quam ad audiendas Confessiones Sæculari- m, non vero aliorum Regularium, vt ex omni tradit Lezan. V. Confessor. Regul. 13. Sed eti Regulares opus non habeant approbatione Ordinarij, ad Confessiones Regularium excipiendas, necessaria tamen

XXXII.

Eius Modo
deratio.

D 2

sem-

semper est suorū Superiorum licentia, sine
qua non solum illicite propter inobedien-
tiam, verū etiam inualidē prorsus aliorū
Regularium confessiones exciperent: Da-
tur enim facultas hæc cum dependentiā
subditorum à suis Prälatis, nō solum quo-
ad hoc, vt propter subordinationem obe-
dientiæ, non liceat vti hoc munere, contra
Superioris voluntatem; sed etiam quia sub-
stantialis facultas audiendi confessiones, &
Iurisdictio necessaria, per Superiora con-
fertur subditis, quibus illi potestatem hanc
limitare valent atque restringere pro libitu
tam ex parte pœnitentium, ad excipendas
v.g. confessiones virorum, & non mulie-
rum, vel sacerdotalium tantum, vel in talipo-
pulo & non in alio: aut ad absoluendum à
talibus peccatis & censuris, non autē alijs.
Vt patet tum ex Declaratione Greg. 13, in
Bulla: *Decet Roman. Pont. An. 1575.* quæ li-
cet Societati IESV primariò facta sit, quia
tamen fauor est, non minùs alijs etiam Or-
dinibus conuenit; tum ex eo, quod omnis
priuilegiorum usus vniuersim à Superio-
rum dispositione pendeat, vt suo loco di-
cetur. Verū eiulmodi limitatio etsi licite
fieri possit, aut re ipsa fiat apud alios Reli-
giosos, Societate IESV præsertim, vt con-
stat ex eiusdem priuilegiorum Compen-

dio, sp
hoc par
fri Col
dici, en
33
illam a
prohib
fessio
risdicti
eonū i
nis &
perea
cio i
id ven
Soat
ponon
1. Qua
ceaua
hoc gen
clavun
leandine
rōrū, cu
cello, pr
confide
comis
modis
juncti
ipius
sona,

dio, apud nos in vsu non est, unde quoad
hoc parem potestatem exercent omnes no-
stris Cofessarij, sive Superiores sint, sive sub-
diti, erga Extraneos.

33. Porro sicuti Superiores facultatem XXXIII.
illam dare, vel restringere possunt, ita &
prohibere, ne Religiosus suus amplius con-
fessiones audiat. Vtrum autem eo ipso ju-
risdictionem ab illo auferat, id pendet ex:
moderanda praeceptis. *Moderanda*
prohibit, ne Religiosus suus amplius con-
fessiones audiat. *Præceptum*
etiam intentione, quæ ex verbis vel alijs sig-
natis & circūstantijs colligenda est. Ac pro-
pterea Superiores, quando aliquem ab offi-
cio isto remouent vel suspendunt, debent
id verbis claris edicere; quod si omittant,
Soar. cit. n. 7. & Urban. Reg. 4. sequentia
ponunt signa, quibus id dignoscere liceat.
Quando à principio non datur alicui li-
centia audiendi confessiones, aut datur ad
hoc genus personarum & non ad aliud,
clarum est prohibitionem illam, esse tota-
lem denegationem facultatis. Quando ve-
rò is, cui prius erat facultas simpliciter con-
cessa, prohibetur, ne ministerium exerceat;
considerari potest, an id fiat in poenam ali-
cuius delicti; nam tunc videtur imponi in
modum suspensionis, & consequenter tolli
jurisdicō. Item an prohibitio fiat intuitu
ipius ministerij, ne indignè fiat à tali per-
sona, aut circa talem personam, nam tunc

D₃

etiam

etiam signum est ablationis totius facultatis. Si autem prohibitio fiat per modum ordinariæ obedientiæ simplicis, ut talis persona tunc non in eo munere, sed alij occupetur, tunc non censetur aufferti jurisdictione, quia nunquam solet cum tanto nōgore id prohiberi in simili casu.

XXXIV. 34. Maior difficultas est, eaque multiplex circa materiam, quo usque nimis rurum seu ad quos casus, aut censuras sese dicti Pauli; Potestas extendat. Rem hanc, o-

N.B. *Sequitia ideo delata*
quia sunt aliqua vero
cata et corrigenda pra-
terim de casib⁹ Episco-
pis reservatis; et alia
quædā.

1 duas reduco quæstiones
na sit de exceptis, altera de
quæret universem, vtrū om-
cepta sint siue negata Re-
vere, quæ in Bulla Cœnæ D.
a, nū alia omnia concessa
specialius has includit du-
le Bulla Cœnæ per nostram
Germaniam, aut faltem in partibus nostris
acceptata? si enim recepta non est, postulat
non solū Religiosi à casibus in ea conten-
tis absoluere, verum etiam quicunque fa-
cerdotes approbati, & iurisdictionem ha-
bentes ab ordinariis, si modò non sine alijs
reservati Episcopis, quicquid sit quod pec-
cauerint, qui primum noluerunt eam reci-
pere, aut non. *Urban. l. 1. Reg. 8. Dato au-*

tem

52 *Absolutio quoad Seculares.*

etiam signum est ablationis totius facultatis. Si autem prohibitio fiat per modum ordinariæ obedientiæ simplicis, ut talis persona tunc non in eo munere, sed aliud occupetur, tunc non censetur afferri iurisdictio, quia nunquam solet cum tanto rigore id prohiberi in simili casu.

XXXIV.

*Difficul-
tas circa
Bullam
Pauli. 3.*

34. Maior difficultas est, eaque multiplex circa materiam, quoniamque nimiron, seu ad quos casus, aut censuras fese dicta Pauli; Potestas extendat. Rem hanc, omissis minus necessariis, breuitatis & claritatis causâ, in duas reduco quæstiones principales, ut una sit de exceptis, altera de cōcessis. Prima quæret vñiversim, vtrū omnia simpliciter excepta sint sive negata Regulatibus absoluere, quæ in Bulla Cœnæ D. cōtinentur? Altera, nū alia omnia concessis

Prior quæstio specialius has includit dubitationes: 1. Sitne Bulla Cœnæ per nostram Germaniam, aut faltem in partibus nostris acceptata? si enim recepta non est, postulat non solum Religiosi à casibus in ea contentis absoluere; verum etiam quicunque sacerdotes approbati, & iurisdictionem habentes ab ordinariis, si modò non sint alias reseruati Episcopis, quicquid sit quod pecauerint, qui primum noluerunt eam recipere, aut non. Urban. l. cit. Reg. 8. Dato au-

tem

em apud nos receptam esse, dubitatur 2.
trum excipiantur casus Bullæ illius, tam
occulti, quam notorii? 3. An omnes etiam
notorii excipiantur, an verò sint Apostoli-
a Priuilegia, quibus, in casu etiam notori-
is, facultas detur? 4. Vtrum adhuc illa
priuilegia, valeant, an verò reuocata sint?

§. I. A QVIBVS REGVLARES
NON POSSINT ABSOLVERE

Dubitatio 1. quia singularem diffi-
culturam patitur, singulare titulo
xaminabitur, *V. Casus reservatus. n. 70.*
Ad 2. *R. Casus Bullæ Cœnæ non esse*
exceptos, quando sunt occulti, sed Regu-
ares priuilegiatos posse ab iis absoluere.
Dicitur hoc loco occultum, quod licet sit
notum aliquibus, non tamen toti Viciniæ,
Collegio vel communitati, quæ constet
altem sex Personis, iuxta R. Sorbo ad V. Ex-
communicatio. aut secundum alios, decem.
De quo vid. V. occultum. Interim constat Re-
ponsio data per concessionem Sixti 4 quā
espectu etiam sacerdotium dari fratribus
*declarauit Iul. 2. in Confirmatione Ordin-
nis Minimorum, concedendo, quod fra-
res Minimi possint vilibet absoluere ali-
is personas, tam Ecclesiasticas, quam sacer-
lares,*

D 4

XXXV.

*Num ex-
cipiantur
casus Bul-
la Cœna
occulti?*

§4 Absolutio quoad Seculares.

lates, ab omnibus casibus & censuris, Episcopis à Iure vel ab homine referuatis, Peyr. ad Constit. 2. Iul. 2. n. 61. Ex Trid. autem 1. 24. c. 6. licet Episcopis absoluere quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua, per seiplos, aut Vicarium, &c. in foro conscientiae, à quibuscunque casibus occultis, etiam Sedis Apostolicæ referuatis, etiam ab heresi; sed hoc per seiplos tantum, non autem per Vicarium. Hanc doctrinam, quam contra Rodriq. & alios tradunt Sanch. 1. 4. Mor. 1. 54. n. 27. P. Cyprian. lect. 28. ad c. 7. Reg. Chaff. 11. 5. c. 2. prop. 3. Urban. ab Alcens. tr. 2. p. 4. dist. 1. Reg. 8. & alij. vocat P. Bass. 10. 1. V. Casus referuatus. n. 39. ex Dian. p. 1. tr. 11. Ref. 28. & p. 3. tr. 2. Ref. 13. valde celebrem & notandam; quæ confirmatur magis per destructionem fundamenti Adversantium, hos casus occultos non esse propriè referuatos Episcopis, sed eisdem potius concessos iura speciali propter industriam personæ, vnde similis facultas, Confessariis priuilegiatis minimè tribuenda sit. Sed contra hoc est, quia si essent merè personales & affixi industrie Episcopi, non dignitati seu officio; Episcopus non posset illos delegate, prout ipsis in Trid. conceditur, ut possint per seiplos, aut per Vicarium. Deinde cum per Trid. concedatur Episcopo

Scopo, in perpetuum per Constitutionem generalem, iam desinunt esse Papales, si-
untque Episcopales, jure non speciali, sed
ordinario, annexi in perpetuum Episcopali
officio, & ex consequenti concessi Confes-
satio Regulari. Quomodo verò dici potest
electa personæ industria, si potestas datur
indifferenter omnibus Episcopis pro omni
tempore, plane incognitis? secus esset, si
Papa eos concederet solum aliqui Episcopo
ad aliquot actus, vide P. Bass V. Heres. n. 18.

36. Ad 3. qd. facultatem absoluendi à Casibus Bullæ Cœnæ, etiam notorijs, con-
cedi nostris Confessariis, saltem aliquibus, Ex concessione Gregor. 13. ex compend. Priu. rij.

XXXVI.

*An exci-
piaturca-
sus noto-*

Societat. IESV. V. §. 2. Item absoluendi quoſcunq; ab hæredi in foro conscientiæ. Concessit hoc Iul. 3. viua; vocis oraculo primum, deinde per Breue, quod incipit: Dilecte fili; quod confirmauit Greg. 13. viua; vocis oraculo pro oīnibus orbis partibus, exceptâ Hispaniâ ibid. §. 3. Item absoluendi quoſcunq; à lectioне librorum prohibitorum in ijs locis, vbi possumus absoluere ab hæredi. Idem Greg. 13. §. 4. Sed oīnibus præualet, quam idem Pont. 25. Jun. An. 1573. concessit, facultas absoluendi quoſlibet, à quibuslibet casibus & censuris, etiam reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, &

D; dispens-

dispensandi super Irregularitatibus, dicta Bulla casus consequentibus, sine vlla restrictione. ut dicitur in libello facultatum septentrional. dicta Societ. V. Bulla Cœnæ. Unde & P. Cyprian. vbi supra concl. 2. generaliter docet, Confessarios Regulares, posse absoluere sæculares à Casibus Bullæ Cœnæ, etiam ab hæresi. In cuius probationem cū produxisset concessiones Syxti 4. cuius supra memini, & Urban. 4. (quam Collector Prior. Mend. V. *Absolutio quoad Sæcul. n. 19.* ex attestatione Generalis Prioris Ordinis Carmel. absque dubio in partibus Italiæ & Franciæ, vbi vigebat illius Ordo, esse in usu ait, atq; adeò sine hæsitatione, eadē, uti posse Mendicantes) quā dictis Carmelitis conceditur facultas absoluendi sæculares ab omnibus, nisi talia essent, propter quā sedes Apostolica esset meritō consulenda, Relapsi scilicet in hæresin, schismate, falsificatione literarum Apostolicarum, & delatione prohibitorum, ad iniudeles, ac demùm ex additione Iul. 2. Coniuratione in Rom. Pont. Et hæc quidem (subdit P. Cypr. in fine concl.) secundum antiquiora Regularium priuilegia, nam secundum Recentiora, luce clarius est, quod possint dicti Cōfessarij absoluere sæculares ab hæresi, & reliquis Papæ referuatis, & conse-

quen-

quenter ab Episcopalibus. Non modicum
huic doctrinæ pondus confert, quod cum
liber ille S. Officij Romæ censurâ fuerit
rigorosè correctus, intacta tamen perman-
serit. Sixti 4. concessio ibid. allegata, per
quā di Cofessarij possunt absoluere ab om-
nibus casibus excommunicationis, ordina-
rio tam à ure, quam ab homine reseruatis,
toties quoties opus fuerit; sicut potest Diœ-
cesanus, id est, sine præsentatione, ut habe-
tur in Comp. Peiu. Mend. V. Quoad Secul. 1.
n. 20. & sequitur Rodriq. to. 1. q. 61. a. 3. ed
in primis tendit, ut sicut ob impedimentum
Canonicum, quod his in partibus vix aut
nunquam abesse diximus V. Absolutio gene-
raliter. Episcopi valent absoluere ab om-
nibus casibus & censuris euicunque demū
reseruatis, ita possint & Confessarij Regu-
lares. Verum est, hoc non admittia ab om-
nibus, afferentibus casus illos non censerit
verè Episcopales, & ordinario Episcoporum
juri subiectos, sed per accidens tantum, ad
quos proinde Regulatum potestas sele mi-
nimè extendat. Verum ad istud (præter
iam dicta n. super.) amplius respondebitur
V. Votum.

37. Meminit P. Bassæ. V. Casus reseruati.
n. 37. aliorum insuper indultorum ex Bul-
lario Rodriq. in primis Paul. 3. culus initi-
um;

XXXVII
Principes
ab officiis
de a casu
bus Bulla
Censa.

58. *Absolutio quoad Sæculares.*

um: *Licet debitum: vbi expressis verbis Societ. IESV concedit facultatem absoluendi sæculares, ab omnibus & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœna D. reservatis.* Et Adrian. 6. qui hoc idem concessit FF. Minoribus de Observantia. Ac demum Clem. 8. pro Carmelitis discaleatis. Sed ille primus pro locis Româ remotissimistâtum; alter, euntibus ad Indos; similiter & tercarius, ad Persas destinatis: quare nobis parum aut nihil opitulantur; ad hoc tamen faciunt, quo videamus, facultates absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ comprehensis, per annuam illius innovationem, vim suam continuò non amittere, prout quidam contentiosè propugnant.

XXXVIII. 38. Sine omni sane dubitatione in di-
Facultas
absoluendi ab Ha-
refo.
es exercemus, in primis, quod Paul. 4. die 8. Maij 1557. conciluit, ut in partibus Ultramontanis, superiores Societ. & alii à superioribus iudicati idonei, quibus id committeretur, absoluere possint à casibus hære-
reos, & schismatis, & lectione librorum hæreticorum, atque aliis erroribus ad fidem pertinentibus: liberare denique à consequentibus sententiis, censuris, & pen-
nis; in foro conscientia tamen solidam. Pro-
ut ex Append. ad lice. Apost. pro Societ. refert
P. Cyprian. cit. Idem Helueticæ nostra
Prouin-

Prouincia cōcessit Cōg. S. Officij, de septen-
nio in septenniū innouando licentiam absol-
uendi omnes utriūque sexūs, tam Latos, quam
Clericos, seculares, & cuiusvis Ordinis Regula-
res, Hæreticos, schismaticos, & à S. Catholica
fide quomodolibet aberrantes, illorūmque cre-
dentes; non tamen in hæreses, schisma & erro-
res relapso, aut de iis in Iudicio delatos, vel
condemnatos, nec eos qui sunt ex partibus, in
quibus viget S. Inquisitionis officium. Item v-
niversos & singulos de prædictis partibus, qui
libros hæreticorum seu alios prohibitos in Indi-
ce Romano, scienter legerint, vel retinuerint.
Hæreticorum quoq; & schismaticorum recepto-
res, sautores, & defensores, qui illorum hæresi-
bus non adhaerent, & in futurum ab huius-
modi pernitoso lectione, vel retentione, & ex-
cepibus prædictis abstinere firmiter proposue-
rint; ab omnibus Excom. Suff. & Interd. ali-
isque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœ-
nis, quibus propterea fuerint innodati, in foro
conscientiae tantum, citra ullam habilitationem,
aut dispensationem. Ita Bulla. Similem fa-
cultatem date solet etiam S. Congregatio
de propaganda fide, quā referam V. Missio.

39. Aliam insuper specialem conceisio- XXXIX.
nem refert, vbi sup. P. Cypr. factam So- Privilégio
ciatati à Greg. 13. vt in singulis Collegiis umspecia-
le. Germaniæ, Generalis designare possit duos
Sacer-

60 *Absolutio quoad Saculares.*

Sacerdotes, qui possint absoluere quoslibet, qui incurrisse Bullam Cœnæ, propter violatam jurisdictionem, aut libertatem Ecclesiasticam, si eos pœnitentia & ad satisfactionem damni illati sint parati.

Et per hæc responsum sit etiam ad 3. dub. de quo mox plura.

§. 2. *A QVIBVS REGVLARES POSSINT ABSOLVERE?*

XL.
Qua con-
cedantur
in Bulla
Pauli 3.

40. **A**d 2. ergo questionem principalem de concessis, ut respondeam: cùm in Bulla præallegatâ Pauli 3. facultas concedatur simpliciter absoluendi ab omnibus & singulis casibus, censuris, &c. quantumcunque grauidis, & enormibus, etiam Sedi Apostolica reservatis, exceptis in Bulla Cœnæ &c. præterquam quod per specialem hanc exceptionem, prior facultas adeò generatim & cum emphasis verborum: etiam Sedi Apost. reservatis, &c. magis robatur stabilitaque, eandem ad omnes etiam casus alios quoscunque, sive generaliter à jure, vel etiam sub forma speciali; etiam reservatis Ordinario, &c. sive per speciales sententias ab homine latas, necnon & nominatum denunciatas, cuicunq; reservati sint, extenuunt non immerito. Authores paulò post nominandi, per commune juris axioma:

Quod

Quod Exceptio firmat Regulam in contrarium.
Convenienter omnino & efficaciter propo-
sito confirmatum à Soat. cit. n. 15. auctori-
tate S. Congregationis dum aliás declara-
uit per Bullam Iubilæi indicti à S. Pontifice
cum facultate absoluendi à quibusunque enor-
mibus peccatis reseruatis Apostolicae Sedi, etiam
in Bulla Cœna Domini, &c. posse fideles ab-
solvi à peccatis Episcopo reseruatis. Item
que per ea quæ dicit Barbos. De Clausul.
Claus. 124. n. 3. Hæc verba: Et decretis Conc.
Tridentini non aduersentur; quæ de stylo
Curia solent apponi in confirmationibus
priuilegiorum Regularium; ad nullum
alium effectum apponi, nisi ad firmandam
Regulam in contrarium, id est, vt intelli-
gentur confirmata omnia priuilegia alijs
Concilio generalibus contraria, excepto
Tridentino. Multo ergo magis priuilegi-
um hoc quoad alia, quæ Bulla Cœnæ non
excipit (quia, vt infra patebit, non solum
Concilio alicui Generali, vel juri commu-
ni, contrarium non est, sed prorsus confor-
me) non tam confirmatur, quam denud
conceditur. Præterquam, quod cum sit fa-
ctor & priuilegium Principis, limitandum
non sit, sed magis ampliandum. Iuxta
Reg. Iuris, fauores sunt ampliandi. Et quod
erba simpliciter posita, generaliter intelligenda
sint.

62 *Absolutio quoad Sæculares.*

sint. c. Quia circa. De Priuil. Gl. in c. Praterem
ver. Simpliciter. De off. deleg. Huic tamen
extensioni, quia quædam obstatre videntur,
triplex etiam scrupulus eximendus est.

*Scrupulus
triplex
eximi-
tur.*

Primus est ex Concil. Trid. quod cum
sess 14. c. 7. dicat, quod extra mortis articu-
lum, Sacerdotes nihil possint in reservatis.
Ab eiusdem S. Congregatione aliquoties
declaratum fertur à Marzilla, Barbosa &
alijs in d. l. quod Regulares etiam Iesuitæ
per priuilegia, præsertim, quod Mare ma-
gnum dicitur, absoluere nequeant à refer-
uatis Episcopo. Præ omnibus difficultatem
habet 2. Declaratio S. Cong. sub Vibano S.
data 17. Nou. 1628. quæ tria singulariter
continet. 1. Per Confirmationes Priuilegio-
rum, quas Regulares à S. Sede post S. Conc. Trid.
obtinuerunt: nequaquam reuixisse priuilegia
prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam iussus
Congregationis Decretis sublata, atque extin-
cta, si quæ habebant, absoluendi à Casibus, Or-
dinario loci, reservatis: Quemadmodum net
indulta absoluendi à Casibus contentis in Bulla,
que in die Cœna legi consuevit (utpote sublata
per annum eius publicationem) vires auto-
rur acquisuisse ex subsequentibus priuilegiis
Confirmationibus. 2. Proinde Regulares cu-
i iussus Ordinis, Congregationis & Instituti eti-
am necessariò exprimendi, nec intrâ, nec extra

Italiam

Italiam in vim priuilegiorum aut confirmationis eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fore obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœne, vel Ordinario referuatis, ac si seculi egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore. 3. Ab alijs vero casibus & censuris Sedi Apostolica re-cruatis (siquidem Regulares habeant à Sede apostolica facultatem) illam extra Italiam minime sublatam fuisse ipsam S. Congregationis decretis hac de re editis iussu S. mem. Clem. 8.

Ex his 3. denudo renascitur dubium circa invocationes priuilegiorum in Bulla Cœnæ positas.

41. Primum, si quam habet difficultatem, ea potius est ex Declarationibus inserviatis, quam ipso Concilio, quod aliud non licet, quam Papam pro tota Ecclesiâ, & Episcopos pro suis Diocesibus posse aliquos interiores casus reseruare: nec extra mortis articulum Sacerdotes posse aliquid in licitis casibus sic reservatis: auctoritate scilicet ordinatiâ, & nisi eis à Papa vel Episcopis fuerit concessum, vel in posterum concedatur. P. Marchant. de 12. fund. tr. n. s. §. 4. In examine d. Decreti: omnium verò declarationum vis in una illa concluditur, quam secundo loco verbotenus recensui.

E 42. Sed

XLI.
Reuocatio
Præsule-
giorū ex-
penditur.

XLI.
Declaratio S. Congreg.

42o. Sed hanc non obstare, quin Mendicantes possint absoluere à casibus & censuris Ordinario, nō solum à jure, vel Synodus, aut consuetudine reseruatis, ut vult March. cit. prop. 3. Verum etiam ab homine, siue generaliter, sive nominatim, per sententiam specialem latissimam, parte tamen satisfactâ, probant ex instituto DD' vultum celebres Soar. cit. n. 14. Urban. Regal. 7. & 10. Chass. de Priuil. Reg. tr. 5. c. 2. prop. 2. Quintanad. tr. 5. singul. 15. & 16. Tamburini in Method. exped. Conf. l. 3. §. 4. n. 12. & 18. Cyprian. ubi supra, & alij pluribus ad hoc producatis probationibus, obiectis ac responsionibus. Ex quibus vnum duntaxat aut alterum argumentum, causâ breuitatis, hoc referre luet. Primum sit, quod in Comp. Priuil. Societ. IESV. V. *Absolutio*. §. 1. Cum aliqui Confessarij prætenderent, predictam facultatem à Paulo 3. concessam quoad casus per Ordinarium reseruatos nihil operari, in dò ei derogatum à Greg. 17, per ea, quae in quadam epistolâ ad vnum ex eis missâ Illust. Card. S. Sixti subiunxit in hæc verba, videlicet: *Hac de re vbi Congregatio accuratè egisset, deinde ad S. D. N. reculisset, illius Sanctitas etiam de sententia Congregacionis censuit, ex facultatibus per Mare magnum, aliaque Priuilegia Regularibus concessa, factam*

Absolutio quoad Seculares. 65

~~à calibus eius non esse potestatem absoluere in casibus sibi
à jure, vel ab Episcopo reservatis, &c. Nihilominus de-
seruatis, clarauit idem Greg. 11. die 10. Maij An. 1583.
etiam ab non esse intentionis suæ, quod per talem
nomini epistolam sit derogata dicta Societati facul-
tas, parte utras, eamque quatenus opus sit, de novo
uto DD. confirmant, &c. Nec tantum in eorum
rbani gratiam ait Urbani. cit. Reg. 7. quibus pri-
mò concessa fuit, sed & in omnium aliorū,
& 16. Tunc qui cum illis participant. Si dicas; id qui-
dem fecisse illum Pontificem, quod autem
pluribus successores retractauerunt. Dicā ego,
nisi satis esse, quod is ipse agnouerit per
Bullam dictam Pauli 3. datum fuisse facul-
tatem etiam in casus Episcopales, & quam
ipse, quantum in eo fuit, noluerit annullari
per declarationem S. Congregationis tum
temporis, An. 1577. 10. Sept. factam ad in-
stantiam S. Caroli Borromæi. Cum enim
este P. Bassæ. V. Priuilegium. 4. n. 2. Priuile-
gia Regularium in hodiernum diem à va-
ris Pontificibus fuerint confirmata, ex cer-
a scientia, motu proprio, & de plenitudine
potestatis, nisi quantum Decretis S. Concilij
rid. aduersantur. Nihil prohibet, quo
minus illam etiam Paulinam Bullam, non
am Societati IESV propriam, quād̄ alijs
quoque Regularibus communem, ut pote-
lito Tridentino Concil. minimè contra-
rium,~~

66 *Absolutio quoad Saculares.*

xiam, robur suum vel retinuisse, vel denud recuperasse dicamus. Accedit (verba sunt Quintana ad cit. sing. 16. n. 5.) quod hoc Regularium privilegium absoluendi Saculares à Casibus Episcopo reseruatis, est insertum juri communis, ut probant pluribus, solidisque fundamentis, præcipue ex Clement. Dudum. Et Extrav. Inter cunctas. Panormi. Bonif. Ioan. de Lignano, S. Antonin. Angel. Tabi. Armilla, quos scitatur & sequitur Rodriq. to. 1. qq. Regul. q. 61. a. 2. communem DD. sententiam habet appellans, ergo nec per Trid. nec per hoc Decretum abrogatur, cum in his, communis juris expressa abrogatio non fiat, ac in generali derogatione Priuilegiorum, non comprehenditur insertum in corpore Iuris communis, si non fiat huius specifica derogatio, ut docent Lopez, &c. Quod si quis omnino stricto verborum tonori præfatae declarationis inhærente velit quomodo saluabit id, quod in ea decernitur, per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, afferri semper indulta absoluendi casibus in ea contentis? quando, ut ex antedictis constat, tam Summi Pontifices quam ipsa S. Congregatio identidem confuescat, eiusmodi facultates Regularibus vel in perpetuum vel plures saltem annos concedere. Nunquid hoc esset dicere? Non quidem licentiam vobis Regularibus da-

quille, vel mus ad annos plures, verum scitote non va-
cedis (ven) litarum, nisi ad proximam Bullæ Cœnæ
(quid bei publicationem, per quam auferuntur om-
nes huiusmodi licentiae. Cumque in eadem
Declaratione irritentur Privilégia huius-
modi, tam quæ Regulares obtinderunt ha-
bitenus, vel deinceps forte, obtinebunt.
Quis credit, quod S. Congregatio velit aut
possit, non solum suis successoribus, sed
etiam summis Pontificibus ligare manus,
quo minus talia in posterum concedere va-
leat; cum par in parem non habeat impe-
rium. c. Inferior. &c. Denique. 21. dist. mul-
tò minus in Superiorum. Annon id ipsum,
quando eadem similes facultates elargitur,
tantundem esset, ac si diceret; Vobis hanc
potestatem facimus, sed quæ nihil valeat,
quia cunctas nō solum à nobis vel ipso Papa
concessas, verū etiam concedendas, anul-
lioni inha- lauimus &c. Vide super hoc & similia decreta
quod in e quæ infra dico V. Benedicre. n. 58. & Chassain.
Cœnæ D. tr. 1.6. i. prop. 3.

43. De Bulla Cœna Domini præter ea, XLIII.
que superius iam dicta sunt, sufficiat pro priuilegiis
summi nunc scire ex append. ad litt. Apost. pro nunc re-
Societ, apud P. Cyprian. vbi supra. Quod uocentur
cultates Regis Pius 4. 10. Mart. 1561. declarauit & concessit, per Bullam
sit, vt non censerentur reuocati per Bullam
Cœnæ facultates absoluendi à casibus re-
obis Regulisker uatis eiusdem Bullæ art. 1. Idem con-
cessit

cessit Pius 5. An. 1575. & Greg. 13. 1. April 1573.
 extendens hoc ad omnia contenta in Bulla
 Cœna D. quatenus illa priuilegiis dictæ
 Societ. repugnare videntur. Et iterum 26.
 Jun. 1573. quoad facultates concessas ab eius
 Sanctitate 25. Jun. 1573. quas facultates de-
 clarauit, quod per publicationem Cœna
 D. non reuocentur, nisi de ijs specialis &
 expressa mentio fiat. Seclusis verò etiam
 istis declarationibus, Peyrin. ad Constat. 4.
 Syxti 4. n. 14. docet per Bullam Cœna re-
 uocari tantum priuilegia generalia absolu-
 uendi à casibus Papalibus (ut nimis illa
 non sufficiant ad absoluendum à casibus
 Cœna) non autem illa quæ exprefse dicto-
 rū casuum absolutionem concedunt, quale
 inquit, est illud Syxti 4. absoluendi à quibuscum-
 que casibus, præterquam illis, pro quibus essent
 ad Sedem Apostolicam mittendi; Prout sin-
 gulariter etiā declarasse Iul. 2. refert idem
 in Iul. 2. Constat. 14. quod illi, quibus in præ-
 dicta Sixtinâ concessa est potestas absolu-
 uendi, & dispensandi, licet possint perpe-
 tuis temporibus absoluere & dispensare ab
 omnibus & singulis, ac si prædicta Bulla
 in Cœna D. non esset facta, nec fieret, præ-
 terquam à conspiratione in Romanū Pont.
 (hunc ipse casum hic quatuor alius Syxti-
 nis addidit) & ab illis propter quæ prædi-
 catus

Etus Prædecessor declarando voluit ad eam
dem S. Sedem esse recurrendum. Vid. Urban.

ab Ascens. tr. 2. p. 2. dist. 2. c. 3. Reg. 4.

44. Maneat itaque generalis ista resolu-
tio: Confessarios nostros legitime insti-
tutos, posse absoluere seculares à casibus
Papæ, etiam in Bulla Coenæ, vel alias Or-
dinario reservatis. Veruntamen ne quis ex
hoc offendatur, aut ipsi penitentes illaque-
entur potius, quam expediantur, sequentes
adhibeo cautelas.

45. Primò. Ut absolutio nō detur, nisi
absoluendus parti satisficerit, aut saltē suf-
ficienter cautionem præstiterit, secundūm
dicta V. Absolutia generaliuer. n. 5. saitem
pro foro conscientie; nam ut absolutio in
foro quoque externo vim habeat, realem
satisfactionem exposcere videtur Pius 5. in
quādā Bullā Lubilai concessi ab eo 15. Ca-
lend. Non. 1568. in qua sic habetur: Decla-
rantes insuper tam presentem, quam alias
quascunque concessiones similiūm & dissimiliūm
indulgentiarum, à nostris Prædecessoribus ema-
natas, & insuturum emanandas litteras, Chri-
sti fidelibus, ipsis, nisi ad eorum effectum in foro
conscientia & penitentiali consequendum dum-
taxat; non tamen in foro contentiouso, nisi sa-
tisfecerint, vllatenus suffragari. Ita Pontifex.
Ex hoc loco quia Chassain, tr. 5. c. 3. prop. 4.

E 4

post

XLIV.
Resolutio
Genera-
lis.

XLV.
Cancela-
to.

70 *Absolutio quoad Sæculares.*

post Rodriq. Sorbo, Medin. Nauar & Ioan. li
la Cruz non improbabiliter infert, Confes-
sarium Regularem posse absoluere etiam
denunciatos nominatim excommunicatos
in vitroque foro, parte, si potest, satisfacta,
& valere huiusmodi absolutionem in vitro-
que foro. Idem sit cautela.

XLVI.

Cautela

2.

46. Secunda, Quamuis iuxta prædicta
Confessarius Regularis, non solum possit
absoluere etiam nominatim excommuni-
catos, atque ita quandoq; fieri videatur ex-
pediens, verum etiam possit interdum esse
valde necessarium ad salutem animarum,
& fieri absque scandalio pusillorum, aut per-
turbatione Iudicium externi fori. Propri-
æmulationes tamen Iudicium Ecclesiastico-
rum, & Prælatorum, etiam iniuste recla-
mantium, ut loquitur Urban, ut Reg. 10, pro
bono Pacis, & animarum salute & quiete,
quæ motu fuerunt Pontificibus priuilegi-
um concedédi, magis expedit in similibus
honores & submissiones eiusmodi meten-
tibus deferendo, ab huius priuilegij vsu ab-
stinere, vel ut solum pro foro interno, ad
Sacramenta recipienda, & communica-
dum occulte cum fidelibus & regredien-
dum in communionem Sanctorum coram
Deo, neque coram omnibus indifferenter,
nec ipsi dando litteras testimoniales de ab-
solutione impetrata.

47. Ter-

47.
seundu
monica
bifidu
confer
ad for
bifidu
quem
rea qu
etiam
fici ob
dam
virge
parti
qua
rum
ciu
om
pon
4
hacte
honi
fici
dua
eq
dum
lie
ad
16

47. Tertiū. Non solum autem hoc ob-
seruandum est circa nominatum excom-
municatos, verum etiam in censuris qui-
buscunque notoris, ut absque Ordinarij
consensu facile non detur absolutio, si ea
ad forum contentiosum deductæ, aut pro-
babiliter deducendæ sint, vt prudenter quo-
que monet P. Bassæ V. Censura. n. 41. propte-
re quod Reus, postquam solutionem,
exentiā pro foro conscientiæ tanū, à cen-
sori videatur obtinuit, non ita efficaciter ad præstan-
dam satisfactionem, sive emendationem
vgeri potest. Præterquād, quod ita ferat
partium nostrarum praxis & consuetudo,
qua cum sit in agendis forma, & quasi alte-
rum ius naturale, vnde & omnia posse di-
citur & æquipollere veritati. Barbos. in axi-
om. tit. 56. n. 1. & 2. ab ea recedendum
non est.

48. Quartū. Quantum ad conuersos ab
haeretici, qualescunque illi fuerint, Confes-
sioni omnino p̄mitti debet sufficiens in-
structio, n̄ ficte ad eam accedant ob respe-
ctum aliquem humanum aliamve causam,
ex quo multa s̄pē incommoda exoriuntur,
dum inconstantes & dubitantes in Catho-
lica fide, permanent vel aperte etiam s̄pē
ad pristinos errores revertuntur. Quare an-
te omnia Confessarius querat ex eiusmodi

Ej. con-

XLVII.

Causula

3.

XLVIII.

Causula

4.

72 *Absolutio quoad Saculares.*

cōuersis & primō ipsis cōfidentibus, an ex animo, firmā fide credant ea, quae Catholica Romana Ecclesia credenda proponit? & an in hac fide semper perseverate & mox parati sint? si affirmare nolint, ulterius non procedat ad peccatorum confessionem faciendam, sed dimittat eos denegato testimonio factae confessionis, ne si schedam testimonij accipiant, velut veri fideles habeantur & ad Eucharistiā admittantur, indeq; liberaliores à Catholicis eleemosynas recipiant, quibus nō male dici potest, quod S. Cyprian, Epist. 10. ad Eucratium, de quadam hystione ad fidem conuerso, scripsit: non puter, inquiens, salario se esse redimendum, ut à peccatis cesseret (& saluus fiat.) quando hoc nō nobis, sed sibi præstat.

XLIX. 49. Quintā Circa eorundem absolutionem, aduertenda est Declaratio, quā Urban, Reg. 11. refert à S. Congregatione Card data m die 8. Iun. 1608. in fauorem & explicationem Bullæ PP. Capucinorum, in qua, licet eis iniungatur, hæreticos non alias absoluere, quām in Sacramento Pœnitentie, in forma Ecclesiæ consuetâ, pœnitentiâ salutari iunctâ, in Sacramentali confessione & in foro conscientie tantum; nihilominus declaratum est à Cardinalibus, vi eius licere Capucinis extra Sacramentalē confessionem absoluere

Soluere à censura propter hæresin contracta, volentes suā sponte abiurare hæresin in præsencia fidelium, pro Ecclesiæ ædificatio-
ne & aduersariorum confusione, quia ni-
mirum ea omnia tantum sonant absolutio-
nem dandam esse pro foro interno conscientiæ, nec profuturam in externo. Dixi,
volentes suā sponte: alias enim necesse non
est, ut reconcilientur publicè hæretici, qui
revertuntur ad fidem; sed id situm est tum
in spontaneo consensu pœnitentis, tum in
prudentia potentis absoluere, qui, ut habe-
tur in Romano Pontificali, potest eximere
à publica fidei professione pœnitentem, si
videat id expedire pro ipsius bono salutis &
quietis, & sufficere, si occultè abiuret hæ-
resin & à censura absoluatur, quod fieri po-
test in ipso secretæ cōfessionis actu vel alio
occulto loco. Ceterū si quis auctoritate
suā vel amicitiā induxit aliquem in suum
errorem hæreticū, tenetur conuersus, eum
simili modo reuocare ad fidem quantum
poterit; si vero rationibus, tenetur item
rationibus contrariis dinettere, sicut est in
praxi apud Ministros conuersos, qui publi-
cant suorum errorum reuocatoriā decla-
rationem, in eorum gratiam & reductio-
nem, quos alias peruerterunt.

50. Et hæc de Bulla Pauli 3, quantum ad L.
Con-Quinā posa

Sunt absol-
ut à Regu-
laribus? Confessarios & casus sive censuras, per
 eam absolui permittas. Ad pœnitentes
 quod attinet, quamvis juxta eandem Reli-
 giosus Confessarius absoluere possit quo
 cunque fideles ad se vnde cunque venien-
 tes, sicque in ipsos Religiosos aliorum Or-
 dinum jurisdictionem etiam habere vide-
 tur, quod tradunt Soar. cit. n. 9. Chall. vii
supra prop. 1. Et confirmat Peyr. in Constat.
 26. Leon. 10 n. 9. per concessiones Leon. 10
 Nicolai 4. Syxti 4. & Vrban. 4. secundum
 quas ait Regulares posse quorumcunque
 vnde cunque venientium confessiones au-
 dire tam exemptorum quam non exempto-
 rum, tam Sacerdotium quam Ecclesiastico-
 rum. Sicut & in Bullâ S. Congreg. nostra
 Prouinciae datâ, cuius supra meminimus,
 expressè item dicitur: *absoluendi omnes viri*
usque sexus tam Laicos quam Clericos, Sacra
res, & cuiusvis Ordinis Regulares, &c. secu-
 tamen est, cum isti ex vi suorum statutorum
 & priuilegiorum absolui nequeant sine li-
 centia suorum Superiorum maximè à re-
 seruatis, prout per plures Pont. iam decla-
 ratum est, præsertim verò Clem. 8. in Bul-
 la: Romani Pontif. An. 1599. 23. Nou. quâ de-
 creuit, concessionem Bullæ Cruciatæ, & aliori
 indultorum particularium ad effectum eligendi
 Confessorem, & absoluendi à reseruatis, cū fra-
 tribus
 Carm
 Congr
 ium
 Spania
 meba
 existe
 nd sa
 minij
 subie
 nou
 1630
 exin
 pro
 cer
 lici
 run
 exa
 fella
 quo
 12. M
 248.
 labi
 cond
 acco
 cel
 le
 ha
 tribo

de censu
 Ad per
 xta eandem
 duere possi
 decunq
 ribus & sororibus Monialibus Ord. S. Maria de
 Carmelo, ac aliorum quorumcunque Ordinum,
 Congregationum, cuiusuis Instituti, Mendican-
 um & non mendicantium, tam Provincia Hi-
 baniæ, quam extra illam vilibet, locum mini-
 os alio-
 ne habere, neque censeri, sed sua intentionis
 iam habent
 xistere, quod idem fratres & Moniales, quantu-
 m ad Sacramentum Pœnitentiae seu Confessionis ad-
 ministrationis dispensationi suorum Prelatorum
 ubiecti sint, &c. Hanc Constitutionem in-
 bouauit & ampliauit Urban. 8. die 19. Ian.
 630. apud Dian. p. 2. In addit. Res. 9. adeò ut
 exindè P. Bassæ V. Casus reseruatus. n. 36.
 probabilem non esse nec tutam in praxi vo-
 cet quorundam DD. sententiam; Regulares
 Congregaciones licite & valide, absque licentia Prælato-
 rum, vigore Bullæ Cruciatæ (vel aliorum
 soluentium ex antedictis indultis) posse eligere Con-
 fessarium, qui eos à reseruatis absolutat. De
 regulares quo vide Tambur. de jure Abb. 10. 2. diss. 13. q.
 2. Mirand. tom. 2. Manual. q. 34. a. 15. Le-
 ui neque san, &c. Quibus ita stantibus, ne quidem
 tempore Religiosorum aliorum
 Pont. inconfessiones excipere satis tutum est, nisi
 ad Clem. accedente eorundem Superiorum con-
 cione, vel expressâ, vel saltâ tacitâ, qua-
 Cruciata, lem quidem ex recepta cōsuetudine videntur
 habere Regulares alij, præsertim Sacerdo-
 tes, dum iter faciunt, aut extra Monasteria
 aliquandiu

76 *Absolutio quoad Seculares.*

aliquādiu morantur in loco, vbi copiam nō
habent Cōfessarij sui Ordinis. Portel. V. Cō-
fessor erga fratres. n. ii. Vrban. ab Ascens. vñ
supra Reg. 6. citra tamē potestatem in rese-
uatos. De Cōfessariis Monialium. vide V. Cō-
fessarius.

LL.
Et cetera?

51. Aduertendum hīc denique est ex
eod. Vrban. cit. Reg. 3. Regulares debitē &
indistinctē approbatos, posse cæteroqui,
non tantū in propriis Ecclesijs ac domi-
bus, sed etiam vibilit in Diœcesi, pro qñ
sunt approbati, confessiones eiusmodi ex-
cipere, Parochis licet contradicētibus, cùm
sit Privilegium Personale Personam conse-
quens. Imò & extra Diœcesin, respectu eo-
rum, pro quorum Diœcesi sunt approbati;
respectu verò aliorum forensiū intrà Diœ-
cesin tantū, in qua receperunt approba-
tionem, absque tamen ulla proprietum
Episcoporum licentia & approbatione, non
obstante quacunque contradictione, per
concessiones Alexand. 4. Clem. 4. & alio-
rum, de quibus Comp. Priu. Mend. V. Absolu-
tio quoad Secul. Refert ibid. P. Sorbo in Re-
sol. Mat. Absol. Privilegium Gregor. 13. quod
prædicti Confessores, quando sunt in itine-
re, possint in quois loco, fidelium confes-
siones audire, ac prædicare, etiam quod
ibi non fuerint præsentati, dummodo non
possint

possint ordinatij illius loci copiam habere.
Monet autem Concl. n. vt ipsi Confessores
sunt cauti in huic vsl, vt Ordinariis non
præiudicent. Addit verò Portel. V. Confes-
sor Regul. n. 7. quamvis per aliquot dies
morentur in aliquo loco, si non repugnant
Parochi. Vide Comp. Priu. Soc. IESV. V. Con-
fessarius. §. 2.

ABIVRATIO HÆRESIS, QVAM AB HÆ-
resi conversus ante Cōfessionem coram Confessa-
rio, & duobus aut tribus testibus ad Sancta
Evangelia debet facere.

2. E Go N.N. ad Ecclesię Catholice vni- LII.
tatem reuersus, omnia & singula, Professio
quæ in S. Synodo Tridentina definita, & fides.
statuta sunt, palam recipio & veram obedi-
entia Romano Pontifici spondeo, simulq;
Lutheri, Zuinglij, Caluini, Schyvenckh-
feldij, Anabaptistarum & omnes alias hæ-
reses, à Sacris Canonibus & generalibus
Concilijs, damnatas, & maximè eas, qui-
bus (proh dolor!) irretitus fui, abiuro pub-
icè, & detestor; profiteor quoque, & ore,
& corde, eandem fidem, quam S. Romana
Catholica & Apostolica Ecclesia, & sacra
approbata generalia Concilia, autoritate
Euangelicā & Apostolicā tradiderunt.
Spon-

Spondeoque & iuro per DEVM Omnipotentem, me in vnitate Sancte Catholice Ecclesiæ, communione Romani Pontificis, per omnia semper & sine dubio permanstrum, necnon ab eadem, quorumlibet persuasionibus vel quocunq; alio modo nunquam discessurum, nec eis qui discesserunt, & in posterum discedent, consilium auxiliumque vel favorem, per me, vel per alium, seu alios, directe vel indirecte præstirum. Ita me Deus adjuvet & hanc sancta Dei Euangelia.

FORMVL A GERMANICA.

Einkurze Bekandnuß des Catholischen Glaubens.

Ich M. bekenn vnd glaube von Grund
metnes Hergens/ saftlich vnd sonderlich/ alles so die H. Catholisch/ Apostolische/ Römische Kirch beschrift zuglauben; Diesen Catholischen Glauben/ außerhalb welches
einige Seeligkeit niemand immer erwerben
kan/will ich glauben/ unverlegt (wills Gott)
bis inn mein Grab festiglich halten/ vnd be-
kennen: Und soviel an mir ist/ daran seyn/
dass er von meinen Undergebenen festiglich
geglaubt/ vnd behalten werde: Verheiss auch vnd gelobe Warhaftig Schorsam dem
Römischen

Römischen Papst/ als der da ist des Heiligen
Petri/ der Apostlen Fürsten/ Nachkommers/
vnd unsers H E x x m I Esu Christi auf Er-
den Vicarius/ vnd Etatthalter: Ich ver-
wirre vnd verfluche zugleich alle falsche Lehr-
Secten vnd Opinionen, die von gemeiner
Römischen Kirchen bis herd verworffen vnd
verflucht seind/ oder nach mahlen verfluche
werden. Also helfe mir Gott vnd alle Heil-
igen/ Amen.

Si magis placet integrām fidei Profes-
sionem facere, iuxta præscriptum S. Cone-
Trident. eam reperies Latinam & Germa-
nicam in Statutis seu Decretis Synodi Di-
cesanæ Constantiensis fol. 2. tit. 2. & in fine
fol. 222. Absolutionem tam pro foro exte-
riori, quam interiori in Ritualibus.

De hac materia Absolutionis vide plura V.
Casus reservatus. V. Confessarius. V. Sorores
Tertiarie. Pro Absolutione paenarum Ecclesiasti-
carum singulariter V. Dispensare. V. Irregula-
ritas & V. Paena Ecclesiastica.

ALTARE.

§3. Licit Regularibus habere Oratoria & in
eis ac alio quoconque loco honesto &
congruenii in arā mobili Missam sa-
cere.

F

Idem